



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Caput LXIX. De Praenosticatione eventus belli Sambitarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Poppo de Osterna VI. Magister Gen. Ordinis Teut.
Henricus de Wida III. Mag. Provincialis Prussiae.*

per fratre suo, non valens tam injuriosam mortem ipsius sustinere, accessit ad bellum, & post longam defensionem, in qua plures lethaliter vulneravit, ambo mortui ceciderunt; alii fratres cum exercitu suo evaserunt.

CAP. LXVII.

De

Quodam miraculo.

DE isto fratre Henrico Stango-
ne Commendatore de Christ-
burg refertur indubitanter, quod
dum ipse in capella flexis genibus
ante altare rogaret Deum, ut o-
stenderet ei aliquo signo, si ejus
gratiam meruisset, crucifixus li-
gneus, coram quo oravit, extendit
brachium suum, & cruce signan-
do ipsum benedixit, quo signo vi-
so contentus recessit. Hoc vidit &
ejusdem castri Sacerdos, qui tunc orando in quodam capellæ an-
gulo latitabat.

*An. Domini MCCLIII. Alexan-
der Papa IV. quondam legatus
Wilhemmus terra Polonia &
Prussia, vacante Imperio sedit.
Hic fuit beneficus graciosus &
pius in pauperes & multa bona
fecit pro statu terra Prussia
qui angustias, quas ibi fratres
domus Teutonice & alii Christi
fideles patiuntur, fide viderat o-
culatâ.*

CAPUT LXIX.

De

Prænosticatione eventus belli Sambitarum.

Poppo de Osterna VI. Mag. Gen. Ord. Tent.

Henricus de Wida III. Mag. Provincialis Prussiae.

Sambita post adificationem castri de Balga curiosius exquirentes fratrum conditionem & statum volentes plenius experiri, miserunt unum de Senioribus suis versus Balgam, quod fratres cognita causa itineris sui grateranter susceperunt, omnia facta sua in rectorio, dormitorio & Ecclesiam ei ostendentes; qui cum habet plenam de statu fratrum notitiam reversus ad Sambitas ait: Scitote quod fratres sunt homines sicut & nos, habent laxos & molles ventres, sicut & nos videtis habere in armis, cibis, & aliis facis conveniunt nobiscum. Sed in hoc differunt à nobis: Habent enim unum opus in consuetudine, quod sine dubio destruet nos. Ipsi singulis noctibus surgunt de strato suo & conveniunt in oratorio & in die pluries, & exhibent reverentiam Deo suo, quod nos non facimus. Unde in bello nos sine hæsitacione aliqua superabunt. Et quia iste vidit fratres comedentes (a) caules, quibus Prutheni non utebantur, credidit esse germina, undè addidit: & ipsi etiam comedunt germina, sicut equus & mulus, quis posset talibus resistere, qui in solitudine sine labore inveniunt cibum suum?

DE MAGISTRO ORDINIS DOMUS TEUTONICÆ VI.

Fr. (b) Poppo de Osterna Mag. generalis VI. Ordinis domus Teutonice fuit hoc tempore. Hic post multa bella quæ ante assumptum officium & post gloriose gessit in terra Prussiae & Livonia, gravatus senio & labore officium suum humiliter resignavit, & successit ei frater (c) An- no in officio supra dicto.

ANIMADVERSIONES.

(a) Hoc ex Dusburgensi habent. Hennebergerus, Waisselius, & alii plurimi. Ego quid de hac relatione sentiendum sit, ignoro. Erasmus enim Stella Prussos Veteres elixarum carniū usum ignorasse, terram etiam minimè coluisse refert. *lib. 1. antiq. Boruff.* Undè concludimus, illos inter alia & his, quæ ex terra spontè nascuntur, vitam sustentasse, nilque nisi herbas, lactucam & alia olera comedisse.

*Poppo de Osterna VI. Magister Gen. Ordinis Teut.
Henricus de Wida III. Magister Provincialis Prussia.*

disse. Testatur id de omnibus ferè gentibus antiquis universè Porphyrius, quòd herbis olim virentibus victitarint, earumque primitias Diis in sacrificium obtulerint *lib. II. de Abstinencia*. Consentit cum his Hesiodus qui aureum sub Saturno genus hominum describens, de ipsorum victu hæc habet:

— — — — — Καρπὸν δὲ ἔφεγε ξείδωρος ἀγυζᾶ.
— — — — — Ἀβύματι πολλόν τε καὶ ἄφρονον. — — — — —

Lib. I. Operum & dierum vers. 117. seq. Ovidius quoque Lib. II. Fastorum v. 147. de Arcadibus populis vetustissimis, & antè Jovem genitum terras in Græcia possidentibus, hæc habet:

*Pro domibus frondes norant, pro frugibus Herbas,
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.*

Et lib. 4. Fast. v. 185.

Laete mero veteres usi narrantur & HERBIS.

Spontè suos si qua terra ferebat, ait,

Et postea v. 197. seqq.

Panis erat primis virides mortalibus HERBÆ

Quas tellus nullo sollicit ante dabat.

Et modo carpebant vivax è cespite GRAMEN,

Nunc epula è tenerâ fronde cacumen erant.

Postmodò glans nata est, bene erat jam glande repertâ

Duraque magnificas quercus habebat apes.

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato

Mutavit glandes utiliore cibo.

Speciatim verò de Fennis, à quibus Lithvanos Prussosque originem traxisse credo, sic loquitur Tacitus lib. de morib. Germ. in fine: *Fennis mira feritas, fæda paupertas, non arma, non equi, non penares: VICTUI HERBA, vestitui pelles, cubile humus: sola insagittis spes, quas inopiâ ferri ossibus asserant.* Quæ cum Prussis veteribus apprimè convenient omnia, cur solum victum ex herbis ipsis denegaremus? Vid. infra Dissert. XV. de Re Oeconomica Prussorum.

(b) Vide quæ supra ad Vitam Conradi Landgravii Thuringiæ dicta sunt.

(c) Est Hanno de Sangerhausen, de quo postea agetur.

CAP.